fieri ſe crediturus affirmat. Tunc valentinus
epiſcopus iuſſit ſibi cubiculum preparari et die et
nocte ſilencium fieri et claudens oſtium ſuper
ſe et puerum cheremonem. Qui tercio anno
tranſacto ita toto corpore implicatus atque
glomeratus iacebat ut caput habens inter
genua remaneret nullam partem corporis
poſſit liberam in membris habere. Erat enim
eius brachia ſimul et crura contorta ut
nullus medicorum paſſionis iſtius aſſereret re-
pertum eſſe vocabulum. Tunc ſanctus valentinus
epiſcopus vir dei fide plenus clauſo oſtio ſtrato
que in ſupremo cilicio eleuauit puerum chere-
monem delecto et proiecit eum ſemmetem [?] in eo
cilicio in quo ipſe orare conſueuerat. Et
per totam noctem in dei laudibus et oratione man-
enti lumen circa medium noctis tantum
apparuit ut hii qui inſpectatoris erant circa
cubiculum putarent intus flamas accendi.
Eius ſpacio vnius hore tranſacto ſurgens ſan-
ctiſſimus puer ſimul cepit voce clara in dei
laudibus incolomis conſurgere. Audientes
autem illum parentes eius deo canere cuius
per tres annos ſolum gemitum audierant
mugitumque reddente omnes ſimul gaudentes
fores ut reſeraret eis ſanctum valentinum
exorabant. At ille dixit. Niſi compleuero
ſtatutum orationum numerum et ymnorum non
vobis aperiam ſed cum aurora noctis finem
imponeret ſanctus valentinus reſerat clauſtra
cubiculi et cheremonem iuuenem pentibus [?]
ac ſi nichil oppreſſus fuiſſet ab omni egritudine
liberatum aſſignat. Tunc craton cum coniuge
et omni domo ſua credidit et baptizatus eſt.
cheremonem autem veſtigia relinquere
ſancti valentini nulla potuit racione ſuaderi.
Paulus vero et efibus atque apollonius abi-
cientes ſtudia humane ſapiencie ita ſe con-
tulerunt ad dominum ut vltra penitus nichil
humanarum legerent litterarum ſed conuerſi
ad dominum ſpiritualibus ſtudiis ſe tradiderunt
magiſtro. Cuius non tantum verba ſed et facta
mirabilia parerent. Interea phoebus conflu-
ebat multitudo ſcolaſticorum ad chriſtum ita ut
abundius prefecti vrbis filius animo duceret
ut tota fidei plenitudine chriſti famulum
ſe publica voce clamabat. Tunc indigna-
cio pene omnium ſenatorum accenſa eſt.
et tentus eſt ſanctus valentinus epiſcopus atque virgis
ceſus. Compellabatur ſacrificare demoniis
et poſt diuturnam cedem cuſtodie mancipatur.
Et videntes eum conſtanter gloriari et omnes
qui per ipſum chriſto crediderant animos confor-
tantem medio noctis ſilencio eiectum
de carcere decollauerunt iuſſu furioſi
placidi vrbis prefecti. Tunc apuleus et efy-
bo atque apollonio ablatum corpus venerandi
chriſti martiris valentini ad ſuam eccleſiam
interamne vrbis nocturno itinere tranſtu-
lerunt. ibique in ſuburbano empto terre
ſpacio non longe ab eadem ciuitate ſep-
ulture honeſtiſſime tradiderunt. Vbi cum
cottidianis vigiliis in dei laudibus permane-
rent. tenti a gentilibus cuſtodie ſunt traditi
conſulari lucencio. Qui lucencius agno-
ſcens quod paulus et efybus atque apollonius
populos multos quos cognouerat amatores
eos haberet. timentes ne violenter ei a populo
tollerentur noctis medio ſuis eos iuſſit
tribunalibus preſentari. Quos cum vidiſſet
nec blandimentis decipi nec terroribus
frangi iuſſit eos ut capitalem ſubirent
ſentenciam. Ipſe autem ſtatim cum officio ſuo fu-
giens et quo perexit non ſe permiſit ſciri. Tunc
populis omnibus luctum de nece eorum et gaudium
de martirio habuerunt. Qui atque aſto abundo
non longe a corpore ſunt ſancti valentini ſep-
ulti. collaudantes dominum ihesum chriſtum qui viuit
et regnat cum deo patre vna cum ſpiritu ſancto
in immortalia ſecula ſeculorum amen.

## Paſſio quadraginta militum

Qui in ſebaſtia ciuitate martirio
conſummati ſunt. quorum nomina hec ſunt
Domiciani eunoici ſiſinnii eradii
alexandri iohannis claudii atha-
naſii. valenti heliam melicii hecdicii
acacii. iubiani heli theodoli cirilli flauii
ſeueriam cyrion velerii chudiom ſa-
cerdoni priſci euthicii ſmaragdi philoc-
thimone derii micalli liſimachi domni
theophili eutitii xancie aggie leoncii
hyſicii gai gorgonii candidi. Hii omnes
ſimul quadraginta paſſi ſunt temporibus
licinnii imperatoris et ſub agricolao preſide
et liſia duce. Temporibus igitur licinii imperatoris
erat perſecucio magna aduerſus chriſtianos.
et omnes pie viuentes in chriſto compellebantur
ſacrificare diis potiusque demonibus. Agrico-
lao vero gerente preſidatum miniſtro
peſtifero et crudeliſſimo incentore diaboli
chriſtiani qui erant in milicia ad ſacrificandum
omnes pariter vrgebantur. Erant autem milites
cappadocie regionis ſecundum deum viuentes
numero quadraginta. Agricolaus preſes
reſpondit. Vnum e duobus propoſitum vobis eſt eligendum
Aut ſacrificantes diis perfici et remunerari
honoribus. Si me autem minime aſſenſeritis au-
feremini ab hac vita et de vera milicia
cogitabo. Eligite igitur quod expedit vobis. Tunc
reſponderunt ſancti ad eum. Quod nobis expediat dominus
curam gerat. Preſes dixit. Non multum lo-
quamini ſed poſt triduum venientes ſacrificate
diis. Et protinus iuſſit eos mitti in carcerem.

License: CC-BY-NC – St. Gallen, Kantonsbibliothek, Vadianische Sammlung, VadSlg Ms. 70, f. 119r – Casus Sancti Galli; Vitae sanctorum (http://www.e-codices.ch/en/vad/0070/119r)